Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31296
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

suas mortificet atque nulli creature privato
amore concupiscenter inhereat.

De diversis motibus nature et gracie.

.S. iiij Fili preciosa est gracia mea, non patitur se misce-
ri extraneis. Valde contrarie movent
et subtiliter ut vix nisi a spirituali et intimo il-
luminato homine discernuntur. Omnes quidem
bonum appetunt et aliquid boni in suis dictis
Inter vel factis pretendunt. Ideo sub specie boni multi
falluntur. Natura callida est et multos trahit
ne et gre illaqueat et decipit et se semper pro fine habet. Sed
gracia simpliciter ambulat. ab omni specie mala de-
clinat. fallacias non pretendit, et omnia pure
propter deum agit in quo et finaliter requiescat.
Natura invite vult mori, nec premi nec
superari, nec subesse nec sponte subiugari.
Gracia vero studet mortificationi proprie, resistit
sensualitati, querit subici, appetit vinci
nec propria vult libertate fungi, sub disciplina
amat teneri, nec alicui cupit dominari sed sub
deo semper vivere stare et esse. atque propter deum
omni humane creature humiliter parata est inclinari
Natura pro suo comodo laborat, et quid lucri
ex alio sibi proveniat attendit. Gracia autem non
quod sibi utile et comodosum sit, sed quod multis
proficiat magis respicit et considerat. Natura
libenter honorem et reverenciam accipit: gracia
vero omnem honorem et gloriam deo fideliter asscri-
attribuit. Natura confusionem timet et contemptum
gracia autem gaudet pro nomine ihesu pati contumeliam